

## **GAIUS SUETONIUS TRANQUILLUS, DE VITA CAESARUM**

Vita Tiberii 2,2: „Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis ac per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent quando esse nollent, proelium navale iniit; superatusque, cum dictatorem dicere a senatu iuberetur, velut iterum inludens discrimini publico Glycian viatorem suum dixit.“

## **TITUS LIVIUS, AB URBE CONDITA**

5, 21, 1-7: „Ingens profecta multitudo replevit castra. Tum dictator auspicato egressus cum edixisset ut arma milites caperent, "tuo ductu" inquit, "Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Veios, tibique hinc decimam partem praedae voveo. Te simul, Iuno regina, quae nunc Veios colis, precor, ut nos victores in nostram tuamque mox futuram urbem sequare, ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat". Haec precatus, superante multitudine ab omnibus locis urbem adgreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. Veientes ignari se iam a suis vatibus, iam ab externis oraculis proditos, iam in partem praedae sua vocatos deos, alios votis ex urbe sua evocatos hostium tempa novasque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere.

Inseritur huic loco fabula: Immolante rege Veientium vocem haruspicias, dicentes qui eius hostiae exta prosecuisset, ei victoram dari, exauditam in cuniculo movisse Romanos milites ut ad aperto cuniculo exta raperent et ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis si quae similia veri sint pro veris accipientur, satis habeam: haec ad ostentationem scenae gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem neque adfirmare neque refellere est operae pretium.“

5, 22, 3-7: „Cum iam humanae opes egestae a Veiis essent, amoliri tum deum dona ipsosque deos, sed colentium magis quam rapientium modo, coepere. Namque delecti ex omni exercitu iuvenes, pure lautis corporibus, candida ueste, quibus deportanda Romam regina Iuno adsignata erat, venerabundi templum inire, primo religiose admoventes manus, quod id signum more Etrusco nisi certae gentis sacerdos attractare non esset solitus. Dein cum quidam, seu spiritu divino tactus seu iuvenali ioco, "Visne Romam ire, Iuno?" dixisset, adnuisse ceteri deam conclamaverunt. Inde fabulae adiectum est vocem quoque dicentis velle auditam; motam certe sede sua parui molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem tralatu fuisse, integrumque in Aventinum aeternam sedem suam quo vota Romani dictatoris vocauerant perlatam, ubi templum ei postea idem qui voverat Camillus dedicavit.“